DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PODAGRA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS BENT,

Anglus.

Sequiturque patrem, non passibus æquis.

VIRG. ŒN.

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXIV.



VIRO EXIMIO,

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ

IN

ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI CLARISSIMO,

QUI,

SPLENDORE NOMINIS,

ACERRIMIS INGENII DOTIBUS,

ET

OMNIBUS LITERARUM DISCIPLINIS,

ORNATISSIMI,

MEDICINÆ

NOVUM DECUS ET PRÆSIDIUM CONCILIAVIT;

HOCCE, QUALECUNQUE, OPUSCULUM,

BENEFICIORUM NUNQUAM OBLIVISCENDORUM,

MEMOR

SUMMA, UT PAR EST, OBSERVANTIA,

D.D.D. QUE

AUCTOR.

With Compts. from the
Author

DISPUTATIO INAUGURALIS

QUÆDAM

DE PODAGRA

COMPLECTENS.

AUCTORE RICARDO BENT.

Morbus, de quo agendum est, ex confesso, minime intelligitur: At si indagamus, unde tantæ tamque diversæ opiniones, de naturâ et causâ ejus, tam variæ ineptæque rationes medendi, ortæ sint; defectum, ad sententias contemplativas et precarias nimium æstimatas; posthabitis experientia, observatione, et valida ratiocinatione, facile referamus. Hinc artis medicæ impotentia, in hoc, aliisque morbis, sanandis: Hinc absurda, contrariaque,

inter se, medicinæ genera, et stultissimus *specificorum* catalogus.

Si Medici, hunc Morbum, tractantes, minus sese vanis rationibus dedissent, magis naturæ; si veram ratiocinationem, a falsa ejus applicatione, sive abusu, satis discrevissent, huic morbo, evitare locum, quem inter opprobria Medicinæ tenet, fortasse contigisset. In nullo enim morbo tractando, præjudicium unquam tam veram, a ratione, victoriam reportavit: etiamsi malum est summæ antiquitatis, et attentionem peritissimorum Medicorum, per omnia secula, sibi vindicavit.

Medicum maximè oportet, hunc morbum probe cognoscere, adeo ut principia, quibus nititur ejus curatio, clare ægrotantibus explicare possit: soliditas enim argumenti, et accurata ratiocinatio, nunquam magis necessaria sunt, quam cum inter divitiores ordines contigit nobis, aut præstigiis indomitis, atque effrænatis animi cupiditatibus vindicatas fu-

gare, aut vim immanem consuetudinis divellere, quam usus quasi in alteram naturam convertit.

Hippocrates, Aretæus, Celsus, et plerique, apud Veteres, de Medicina, Scriptores, hunc morbum plane cognovisse videntur. A Culleno, concinne definitur, hisce verbis.

"Morbus hæreditarius, oriens sine causa externa evidente, sed præeunte, plerumque, ventriculi affectione insolita: pyrexia, dolor ad articulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potissimum infestus; per intervalla, revertens, et sæpe cum ventriculi, vel aliarum internarum partium affectionibus alternans."

Auctores nonnulli, in quasdam hujus definitionis partes, animadverterunt; et præcipue negant Podagram hæreditariam esse.

Auctoritate Doctoris Cadogan, qui negat[1]

---

[1] Cadogan on the Gout, p. 19.

morbos a parentibus, ad nepotes, transferri, nisi malo habitu, indoleve corporis oriundos. Podagra, nihilominus, ut mihi videtur, hæreditaria, jure habetur, et consensus omnium seculorum hanc opinionem confirmavit. Haud dubie, non omnes, ex eadem stirpe, invadit, sed serius, ocyus, demum erumpit.

Doctor Falconer, de hac re, disserens, recte animadvertit,[1] alia morborum genera, aliis aetatis partibus contingere; nec magis admirandum esse, quod infantes non *Podagra* ægrotant, quam quod adulti non dentiunt.

Definitio igitur Culleni, me saltem judice, perspicua est, et apte morbum dividit, in species quatuor, nempe, regularem, atonicam, retrogradam, et aberrantem.

---

[1] Falconer's Obser. on Gout, p. 17.

HISTORIA MORBI.

Paroxysmus ârthriticus plerumque denuntiatur signis dyspepsiæ, nempe, flatu, alvo tardiore, et ventriculi acore, etiam torpore musculorum femorum, et spasmis, cum venis varicosis crurum. Hæc ultima, et sensus urticationis, vicissim, urgent. Denique indicia omnia perspirationis repressæ superveniunt. Fere inusitata cibi appetentia pridie diei accessionis, observatur.[1] Hæc omnia paroxysmum præeunt. Ipse plerumque indicatur dolore acuto pollicis pedis, qui, brevi, postea tumet, rubet, et quasi splendet. Nonnunquam, tamen, dolores è malleolis surisve incipiunt, quibus accedit sensus quasi aquæ fri-

---

[1] Wilson on Febrile Diseases, p. 308.

gidæ, cruri affecto affusæ, vel etiam ossium luxatorum. Aliquando, validam partis compressionem referunt, adeo ut pondus, vel lævissimi toralis, imo tremores areæ, vix tolerari possint: porro scipionem ad flocculum, seu frustulum lanuginis volitantem arcendum haud raro sublatum videmus.

Pyrexia nunc cum rigoribus alternans supervenit, et dolor acutissimus fit. Hæc, tamen, non in omnibus exemplis adest.[1]

Paroxysmus primus, horâ matutinâ secundâ, vel tertiâ, pleraque ex parte adoritur, et horas circiter viginti quatuor perstat; quo tempore, accedit sudor lenis, quæ dolores mitigat, et sic laborantem consopit. Recedente accessione, pruritus partis affectæ urget, et cuticula in squamas furfuri similis, abit. Plures hujusmodi impetus integram Podagræ accessionem constituunt, quæ longiore aut

[1] Prælect. Gregorii.

breviore tempore intermittuntur, prout vires corporis magis minusve frangantur.

Ubi corporis constitutio dura est, et morbus recens, tantum, redit tertio vel quarto quoque anno.

Intervalla, tamen, paulatim, contrahuntur, donec æger, demum, vix unquam morbo, omnino, caret.

Accessionibus crebro redeuntibus, dolores minus vehementer urgent; sed ventriculus magis laborat, donec, tandem, accedit species morbi *atonica*. Exacerbationes dolorum primæ accessioni supervenientes, in plurimis exemplis, per noctem, maxime torquent. Tunc, quoque, pleræque generis *nervosi* affectiones ingravescunt; Unde, Heberden inductus acute suggerere fuit; Podagram Morbum, fortasse, *nervosum* esse.[1] "Verum hoc non est perpetuum, (recte annotat) nam in aliquibus, dolor

---

[1] Heberden, Comment. de Arthritide, p. 30.

(nempe dolor arthriticus) interdiu, quam noctu, major est."

Exemplum Podagræ, spectata auctoritate nixum, raro ante ætatem triginta quinque annorum, observatur; plerumque, multo serius occurrit. Heberdenus fatetur, se nunquam eandem, ante pubertatem, vidisse: At Morgagnius, contra, exempla duarum memorat filiarum, pæne infantium, quæ, doloribus sævis cruciarentur, quos ipse judicabat arthriticos esse, quoniam parentes hoc morbo laborabant.

Viros, frequentius, quam fœminas, Podagra adoritur. Seneca, contra, affirmat, se fæminas complures cognovisse arthritide affectas: "Nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt." At nequaquam, numerum, viris, similiter affectis, vult comparare.

In exemplo, quod Heberdeno Cl. contigit familia universa, unicâ filiâ, solum, exceptâ, morbum evitavit. Fæminæ illæ, quibus

mores masculini maxime proclives videntur esse; sed raro antequam evanuerint menstrua.

Primo, vere, aut autumno, morbus apparet, sed postquam inveteraverit, legibus minus certis, quod ad tempus accedendi obtemperat.

Temperamentum *cholerico sanguineum* maxime, melancholicum et sanguineum mera minime, Podagræ obnoxia Culleno videbantur, sed modeste, ut ei mos, hanc opinionem profert.

Initio accessionis, urina phosphatis calcis ferè prorsus egena est; sed postea hæc magna copia dejicitur acido urico et exigua quantitate materiæ animalis (colorem subrubrum præbente) commistus. Morbo progrediente, artus, primum, rigidi, sed demum, fere immobiles, fiunt; sub cute eos tegente, materia primum albumen ovi referens, sed postea sicca et indurata evadens effunditur, sic formantur

calculi arthritici,[1] qui, a Doctore Wollaston, inveniuntur ex acido urico et soda inter se sociatis constitere: Vel ut Dominis Tennant,[2] Fourcroy, et Vauquelin placet, ex acido urico, sodâ et multo materiæ animalis.

Affectiones renum, et accessiones arthriticæ, sæpe, alternis vicibus, hominem affligant, et experientia satis docuit, alterutrum harum a parentibus, ad prolem, haud raro transmitti; et hac sæpissime lege, scilicet Podagram ad pueros, ad puellas vero, indolem calculosam.

Dicitur, cum urina nihil suâ sponte deponit, sed aliquid muriate hydrargyro adjecto dejicitur, alteram accessionem esse expectandam, sed recte, an secus, nihil experientia deductum, quod dicam, habeo.

Forbes affirmat liquorem per cutem arthriticorum perspiratam, succos plantarum cæru-

---

[1] Phil. Trans. p. 386, par. 11.—1797.
[2] Annales de Chimie, No. 95, p. 213.

leos rubefacere, quod, eodem judice, ob acidum uricum, in eo contentum, accidit.

Omnia jam annotata, ad artuum quandam inflammationem, et functiones ventriculi turbatas, et imbecillas, præcipue spectant, quæ, jure, Podagram regularem constituunt. Sed, antequam hanc, omnino, relinquamus, memorare liceat, ægrum, accessione adhuc perstante, quamvis antea hilarem et urbanum, nunc morosum et protervum fieri, et vel studia amicorum vix tolerare, et ad iram pronissimum esse,[1] unde paroxysmus Podagræ, paroxysmus iræ, a Sydenhamo, haud perperam, vocatur.

PODAGRA ATONICA.

Signis Podagræ regularis propriis caret,

---

[1] Sydenham, de Podagra, p. 442.

sed quoniam aliqua ex signis atonicis, haud raro, accessionem regularem antecedunt; ex hoc, fortasse, non immerito, statuamus, partem, solummodo, esse ejusdem morbi. Proclivitatem, tantum, ad inflammationem, invenimus, seu lenes articulorum dolores. His accedunt spasmi diversarum corporis partium, alvus tarda, aliquando fusa, cum doloribus colica exortos referentibus.

Languor animorum perinsignis quoque comitatur, ex causis vel levissimis, motus animi incitatissimi, et metus malorum, et periculi inanis: Aliquando mania, aliquando[1] melancholia lethalis, vexant.

Porro torquent nausea, vomitus, cibi fastidium, acor ventriculi, signaque dyspepsiæ omnia. Caput, denique, multum laborat, et huic, nonnunquam, vertigo, apoplexia, et paralysis.

---

[1] Wilson on Febrile Disorders, p. 322.

PODAGRA RETROGRADA

Dignoscitur inflammatione artus cujusvis brevi et subito recedente, et sese alicui parti interiori, plerumque ventriculo, infigente, (si cordi, syncope inducitur.) Hic innotescunt pleraque ex signis speciei atonicæ, quod eandem utrique originem plane demonstrat.

PODAGRA ABERRANS

Existere dicitur, quum inflammatio aliquod viscus invadens, eosdem, quos ex aliis causis, effectus inducit; malis fere innumeris originem præbet, scilicet, pneumoniæ, ischuriæ, hæmorrhoidi.—Cullenus animadvertit,[1] " I

[1] First Lines, vol. ii. p. 74.

have never met with any cases of misplaced gout, in my practice, and I find no cases of it distinctly marked by practical writers, except that of a pneumonic inflammation."

Sydenhamus aliique boni multi scriptores, de hoc morbo, penitus, silent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Præcipua prædisponens (nostro saltem judicio) est labes hæreditaria; inter eas, tamen, quæ huic favent, aut inflammationem arthriticam augent recensere liceat, ignaviam, cum victu, ex materia animali lautiore, nimiam libidinem, usum alcoholis, sub variis formis intempestivum: Studium literarum intensum, cœli vicissitudines, frigus, partibus externis admotum: Exinanitiones immodicas; acidorum et acescentium; etiam narcoticorum, amarorum, et aromaticorum, usum

liberiorem aut diuturnum; et denique, victum ex parco subito lautum, ex lautove parcum. Hæc omnia implendo, aut infirmando, nocent, nexumque inter artus et ventriculum bene ostendunt, qui adeo arctus existit, ut functiones illorum rarissime in corpore, ad hunc morbum proclivi, turbentur, quin hic laboraret. Hinc, omnia, quæ ventriculum debilitant, hoc malum excitare conjicio.

Pleni et robusti proclivitatem majorem, quam graciles et macri habent. Perraro eos invadit, qui corpora, laboribus, durare solita sunt.

DE MORBI NATURA.

Satis constat, Podagram inflammationem propriam esse, atque *plethoram* corpus inflammationi magis habile reddere, nemo sanus denegabit. *Plethora* definiri potest, quantitas

sanguinis in venis et arteriis aucta, laxâ corporis compagine, obesitate, et pulsu pleno fere stipantibus. Diathesis phlogistica in motu arteriarum validiore et citiore consistit, et plerumque sese in hominibus compagis rigidæ, cum pulsu duro ostendit. Hanc, labor, illam, ignavia et luxus inducunt, et hinc cum podagrâ intime nectitur, quæ præcipue inter luxurios et inertes grassatur. Cur causæ hujusmodi extremitates afficiant, plurimas rationes reddere possumus. *Plethora*, corpore erecto, hùcce conferet, quoniam sanguis ex pondere partes versus extremas tendit. Hæ porro longius a fontibus vitæ distant, atque ex propriâ fabricâ, et usu, magis actioni frigoris, et humiditatis patent. Dum artus, tegumentis muscularibus pæne destituti, majori pressuræ, ita ac motui, objiciuntur :—

Formatio acidi peculiaris, morbo provectiore, potius sequela, quam causa, videtur, et

nexui inter Podagram et indolem calculosam, fortasse tribuenda.

Gregorius, in prælectionibus academicis, recte annotat affinitate intima, signa, et caussas generum *pyrexiæ* et *neuroseön* inter se connecti: Adeo ut invicem, gradibus, vix percipiendis, complicentur; et hinc, diagnosis difficillima reddatur. Quod ad nostrum inceptum attinet, sat erit animadvertere nobis saltem, theoriam, quæ pathologias nervosam et humoralem conjunctas complectitur, optimam videre: Cum cultoribus pathologiæ humoralis concidit; "That a peculiar saline acrimony exists in the blood, in such a proportion, as to irritate and excite to morbid action, the minute termination of arteries in certain parts of the body."[t] Et contra, cum iis *nervosæ* moventia primaria solida hebetia, aut, aliis verbis, ventriculum laborantem ali-

---

[t] Parkinson on the Nature and Cure of Gout, p. 3.

quid conferre, nequaquam negat. Ventriculum laborare, signa dyspepsiæ indicant, quæ, a Culleno Cl. nervis tribuuntur. Porro adjicere, haud alienum erit, potestatem quem varii animi motus habent morbum sublevandi, et inducendi haud parum conferre, ad hunc nexum cum genere nervosæ confirmandum.

DIAGNOSIS.

Unicus solum existit morbus, rheumatismus, scilicet, quocum Podagra facile confundi possit. Sed vel ad hoc, plerumque, haud obscuris notis dignoscitur. Labe hæreditaria, homines, vitæ sedentariæ, adoriendo, et raro, ante pubertatem.

Articulos minores occupando, signis dyspepsiæ, et præeuntibus, et comitantibus; et denique dolore, primo paroxysmo, sedem ha-

bente in unicâ sola parte, et ingravescente, potius quam mitiscente, usque ad finem ejus.

Dolores rheumatici, actione musculorum augentur, eorumque cursum sequuntur: Et porro si perpendimus his præcipue vexari laborantes et pauperes, sed nulli ætati, sexui, aut temperamento, immunitatem concedi, diagnosis, ut nobis videtur, in aprico erit.

PROGNOSIS.

Dum artus soli afficiuntur, et accessiones sunt regulares, dum vires minus, aut ætate, aut morbo, franguntur, exitum licet sperare felicem. Sed si accessiones abnormes, et crebræ evadunt, si torquentur sæpe, et subito, partes interiores, æger magnopere periclitatur.

RATIO MEDENDI.

Culleno illustri, lubentissimè annuo, qui dixit, hominem, ab ætate puerili, vitam laboriosam, et temperatam, agere solitum, hoc morbo immunem certe futurum; eumque, solum, arceri posse, victu tenui, exercitatione corporis, et animi, crebrâ conjuncta: Vel ut res aliis exprimatur verbis, curam maximam adhibendam esse, ne aut plethora, aut debilitas corpus opprimat.

Ad hoc consilium consequendum, constat, a medicinâ opem petendam: Quamvis haud ignoro, nonnullos medicos aliter sensisse, atque putâsse, artem nostram nihil, ad Podagram levandam, valere:

Opinio hujusmodi, nihil dubito, primum eos induxit, ut Podagram nisum naturæ ad humorem morbi genitorem expellandum exis-

timarent; hocce præjudicium infelix necessario admonuit arthriticos, diætâ plenâ et nutrienti sustineri, adeo ut perfectior accessio fieret, quod salutare putaretur.

Huic opinioni, magnâ ex parte, frequentiam mali, hodiernis temporibus, tribuo. Proprietates corporum, inflammationi arthriticæ habiles, sic a majoribus nostris, nobis transmissæ: Atque has multum inducor, ut credam, ex conformatione hæreditaria, pendere: Heberdenus Cl. recte dicit, "[1]Hic enim est ille morbus, qui nunc apud Britannos in honore est: Quem exoptant ii, quibus est incognitus, de quo, etiam, gloriantur, qui se jamjam ab eo occupatum iri autumant, quem, autem serio deplorant quotquot cum hoc acerbo malo revera conflictantur."

Remedia, plethoræ arcendæ, accommodata, si intempestive adhibeantur, debilitatem in-

---

[1] Heberden Comment. de Arthritide, p. 35.

ducant; ideoque non sunt utenda. Ut functiones corporis rite procedant, multum ex ventriculi statu pendet; sed ad hunc roborandum, remedia vel maxime inter se contraria, sæpe exiguntur. Medicamenta quæ alvum solvunt, et simul leniter stimulant, optime huic consilio exequendo (nempe ventriculo roborando) conveniunt, et assidue adhibenda.

Podagræ, haud secus ac aliis morbis, qui, felicissimè, ope victûs idonei, curantur, remediis *specificis* cumulari contigit. *Pulvis portlandicus*, imprimis, multum laudatus fuit, cui, præparationem simillimam; Galenus, et Cœlius Aurelianus, cognovisse videntur. [1] Cullenus, tamen, et [2] Cadogan, plane ostenderunt, quantulum hæ laudes isti medicamento debeantur. Quod nihilo secius Heberdenus,

[1] First Lines, p. 104.
[2] Cadogan, passim.

usque ad mortem, quamvis ab aliis sepositum et nihili habitum, eum commendavit. At Gregorius, in prælectionibus, exempla narrat, ubi mors ("[1] fulminis adustior") ejus usui supervenit.

Hic pulvis, ex herbis amaris et aromaticis, compositus, crebrò, et large, dari consuevit. "[2] Multa amara, forsitan omnia, large assumpta, corpori nocent; neque suspicione vis alicujus venenatæ, omnino, carent; nonnullis, saltem, animalibus, plane veneno sunt;" actio "eorum, in corpore vivo, et modus, quo fibras musculosas, præterquam vi sua astringente roborant, parum intellecta sunt."

Medicamentum aliud, quoque, vulgo "L'eau Medicinale D'Husson," nominatum, diu floruit, et vel hodie, laudatoribus suis non careat, quamvis aliquantum, nec immerito, in desuetudinem ceciderit. A Domino Moore, dici-

[1] Wallis on Gout, p. 74.
[2] Conspect. Med. Theoret. p. 373.

tur ex veratro albo in Tinctura Vinosa Sydenhami esse præparatum: Sed recte, an secus, non satis apparet. Gregorius, quidem, dicit, se in pluribus exemplis, vidisse malos, imo lethales, ex ejus usu, effectus oriri. Nonnulli Zingiberì, quoque, usi sunt, ex lacte accepto, aut aquam, ex quâ hæc radix decocta fuerat; quæ, tamen, effectus haud prioribus jam dictis dissimiles edit, igiturque abjicienda.

Si Amara, et Aromatica omnino adhibentur, non diutius, tribus hebdomedis, aut saltem mense, iis æger uti debebit; sed tunc intermittantur, iterum si necesse, postea repetenda.

Remedia utenda, naturaliter, in binas classes dividuntur; nempe, quæ sub accessione, et quæ per integritates exigantur: Et primum, de accessione.

Plurima exempla, præsertim, in scriptis Heberdeni, et Culleni, nobis, traduntur, ubi do-

lores arthritici, inter nisus violentos, metu, aut gaudio exortos, evanuerunt.

Quod ad remedia extrinseca, et præcipue refrigerentia, a Doctore Kinglake tam laudata, spectat, me saltem judice, non periculo gravi carent; et maxime, si signa debilitatis, caput, aut ventriculum, afficientia, antecesserint. Fortasse, prodesse possunt, ubi nulla signa speciem atonicam indicant, at contra, omnia lenia existant: Sed potestas morbum tute tollendi, earum usui indiscreto, a Doctore Kinglake, tam strenuè attributa, mihi videtur, ut validæ ratiocinationi, et experientiæ medicorum maximi nominis, adversari.[1] Hoffman, et[2] Van Swieten, aliquid extrinsecus admoveri nolunt, dum Podagra extremitates occupat.

Usum immodicum, vestitus lanei, nequa-

---

[1] Sect. a Cap. 1. vol. 4.
[2] P. 357, vol. 4.

quam monerem; id quod sufficiat vicissitudines tempestatis arcere, solum postulatur: lamina una, cum tibiale, satis videtur; plures debilitatem inducerent: et omnia, quæ debilitant, ad crebras accessiones inferendas, operam conferunt.

In intervallo, omnes causæ remotæ, præcipue, evitandæ, et inflammatio, post accessionem, ope fricationis sedanda. Hanc, Cadogan multum commendat, et Eques Gulielmus Temple dicere solebat, "No man, who has a slave, need have the Gout."

Regimen, antea præceptum, strictè adhibendum est, cum exercitatione frequenti, citra fatigationem, et sudorem, quæ novas vires animo consiliat, sanguinis motum incitat, et secernenda et excernenda, rite evocat. Hoc, demum, totum corpus reficiet, vim ventriculo præbebit, ideoque plethoram, et debilitatem arcebit.

Sanguinis detractio, quippè quæ corpus im-

pleat, quodammodo, aliena est; sed quamvis Sydenhamus ejus usum prohibet, attamen, necessaria, nonnunquam, evadere potest, si plethora, cum febre vehementi, morbo adhuc recente, et regulari, et viribus ventriculi minus fractis urgeat.

Purgatio alvi intempestiva, accessiones Podagræ sæpe reduxit: Quod testimonium haud leve affert contra materiam morbi genetricem: Sed quoniam alvus, plerumque, pigrior est, medicamenta, quæ ventrem leniter solicitant, et ventriculum stimulant, subinde administranda.

Post hæc, Sydenhamus monet opium adhibere; cui, tamen, multi id objiciunt, quod ventriculum infirmat, et ita, corpus Podagræ atonicæ aptat; sed cum dolor, sine febre, magnopere torquet, cum fructu, hoc remedium, administrare possumus.

In eis casibus, ubi, ob accessiones crebras, vires ægri multum labuntur, et Podagra atonica, et retrocedens, supervenerint, ad stimu-

lantia, generaliter, confugiendum est; vino, aut ejus spiritui, opium anteponerem; et, si priora administrantur, forma tincturæ, alvum solventis debent esse; nempe, tincturæ sennæ, aut aloeticæ.

Ad malos effectus in ventriculum præveniendos, pediluvia, et sinapismi, cum scopulis, admovenda sunt.

In Podagra aberrante, regimen antiphlogisticum, prout laborantes vires sustineant, usurpandum. Multi, exulcerantia, et rubefacientia, imponi hortantur, ut inflammatio, iterum, ad partes extremas, eliciatur.

Aquis Bathoniensibus, Heberdenus adversatur, quas dicit, potius malum inducere, quam arcere, signa tamen dyspepsiæ, fortasse, vi tonica, sublevare possunt.

A Culleno, et Parkinsono, virtus insignis, tribuitur liquori potassæ, Pharmacopœiæ Londinensis, ad guttas triginta, ampliusve, usque ad sexaginta, bis in die, ex cyatho de-

cocti hordei. Ab ultimo, acida, et acescentia reprobantur.

Hanc dissertationem, tandem, ad finem perducam, iterum monendo, regimine rite ordinato, solum nitendum esse, in hoc pertinacè morbo tractando. Si medicinæ auxilium postulatur, optime petendum est, primis stadiis, usu magnesiæ, rheo palmato adjunctæ.

Verba Sydenhami, de diæta, animis omnium arthriticorum infigi debent. "Mediocritas ea, in cibis, observanda est, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat, neque, e contra, nimia abstinentia, partes ea alimenti defraudentur, quæ earundem robur, et vigorem potis est. Quoad quantitatem, autem, ciborum, æger palato consulendum est, et unica ciborum specie, singulis pastibus, vescatur: De cæteris, dempta carne, pro libitu comedat, modo nec acria, nec sale condita, sint, nec aromatis."

FINIS.